



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 27. Anathemius Imperator Occidentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

Sæculum V.
A. C. 467.

§. XXVII.

Anthemius Imperator Occidentis.

Cassiod. & Marcell. Chr. Jam ultra annum Roma Imperatore carebat. Severum 15. Aug. anno 465. haustum in suo Palatio venenum sustulerat. Facinoris Auctorem Ricimerum, qui Occidenti dominabatur, omnes habebant. Is tandem consensit, ut Leo Imperator Anthemium, Procopii Filium, & alterius Anthemii Nepotem ex Oriente mitteret, ipse Ricimer ejusdem filiam uxorem acciperet, & Anthemius Occidentis Imperator esset. Anthemius in *Idem. Vid. Tun. Chro. Pasch. pag. 323. c. Evagr. II. c. 16.* Italiam venit, & in loco, octo stadiis a Roma distante, Mense Aug. Puseo, & Joanne Consulibus, anno 467. Imperator salutatur, habuitque Ricimerum Generum.

Gelas. ep. 13. to. 4. Conc. p. 1208. In Anthemii comitatu erat aliquis, cui nomen Philotheus, Hæreticus Macedonianus; is Principis favore subnixus Romæ novos variarum Sectarum Conventus introducere adlaborabat. Huic molitioni Hilarus Papa vigore Sacerdotali se opposuit, rogavitque Anthemium, ut tantum malum prohiberet. Aliquando in Ecclesia S. Petri publice, & elata voce Principem affatus, compulit, ut juramento se adstringeret, non passurum se, ut qualescunque conventus agerentur.

§. XXVIII.